



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 97. Amadæus Sabaudiaë Dux in Papam electus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

pem sæculi uno quasi saltu ad supremam **Sæcul. XV.**
 Ecclesiæ dignitatem eluctari. Alii Vi- **A.C. 1439.**
 rum quondam connubio junctum, ex quo
 etiam liberos suscepisset, ineptum summo
 sacerdotio existimabant. Alii hominem
 rerum Ecclesiasticarum inexpertum, nec
 Doctorem, nec scientiis sacratoribus in-
 structum esse dicebant. Ex adverso A-
 madæi fautores cuncta ista eludere co-
 nantes reponebant, Ducem non equidem
 esse Doctorem, bene tamen doctum, qui
 jam a primis unguiculis Musis sese devo-
 vissset; singulari morum integritate con-
 spicuum, in publicis pietatis exercitiis
 assiduum, divinum officium, etsi Laicus
 esset, singulis diebus recitare solitum.
 Nec illos, qui quondam uxores habuis-
 sent, a Sacerdotio arcendos esse, ex ve-
 terum testimonio comprobatum ibant,
 eoquod & illi, qui adhucdum uxoribus
 adhærerent, facta tamen ex mutuo con-
 sensu separatione olim ad hunc dignitatis
 apicem evecti fuissent.

§. XCVII.

*Amadæus Sabaudicæ Dux in Papam
 electus.*

Denique nonnulli Amadæum tanta E-
 logiorum amplitudine extulerunt, ut
 etiam illorum animos, qui prius eidem
 minus favebant, attraherent; unde is per

M m 2 viginti

Sæcul. XV
A.C. 1439

viginti sex suffragia die quinta Novembris Papa renunciatus fuit. Eventus iste ab adstantibus summis lætitiæ signis accipiebatur, atque illico vocabantur Notarii, & testes, qui publicum electionis factæ instrumentum conficerent. Denique Amadæus hora prima pomeridiana ex conclavis fenestra Pontifex proclamabatur, & Cardinalis Arelatensis nomen illius confluenti populo denunciabat. Post hæc omnes Electores circa horam tertiam sacris vestibus induti, e conclavi progrediebantur, atque a Clero, qui ante conclavis januam expectabat, ad Cathedralem Ecclesiam deducebantur. Eousque Æneas Sylvius duos suos libros de gestis Basileensis Concilii perduxit.

§. XCVIII.

Sessio XXXIX. Concilii Basileensis, in qua Amadæi electio confirmatur.

Aug. Patric. hist. Concil. Basil. & Florent. n. 103. p. 1580. ex tom. 12. Conc. p. 636. Basileenses die decima septima Novembris celebrabant Sessionem trigesimalam nonam, in qua Amadæi electionem confirmantes declarabant, eundem absque ulla exceptione ab universali Ecclesia reputari debere electum in summum, & Romanum Pontificem. Postea deligebantur Legati, qui Amadæo suæ electionis nuntium deferrent, atque illum, ut eandem ratam